

potens est bonitas Dei benedictionis et gratie sue dona operari. Isaac volens atque omnino credens se benedicere filium suum primogenitum Esau, Iacob alterum filium suum benedixit.¹ Quia ergo ille non volens immo deceptus alterum benedixit, iste patri veritatem celando^a furtivam ab eo benedictionem surripuit, numquid illa benedictio iccirco benedictio non fuit? Fuit plane. Nam postea scriptum est: *expavit Ysaac stupore vehementi et ultra quam credi potest admirans ait: quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi et comedi ex omnibus priusquam tu venires? benedixique ei et erit benedictus?*² Quoquo itaque modo illum benedixit, benedictum illum esse asseruit.

25 Exempla scripturarum que posuisti debito sensu accipimus atque per omnia tecum sentimus. Illud enim in lege scriptum: *quod tetigerit immundus, immundum erit*³ eo sensu dictum^a accipimus, quo apostolus Paulus etiam abundantius ait: *omnia munda mundis, coinquinatis autem nichil mundum neque mens eorum neque conscientia.*⁴ Si ergo immundus aliquid tangit, siquidem immundum est, immundum manet et eo immundius iure computatur; si vero sacrum et mundum, pro temerario suo tactu immundum illi et pernitiosum reputatur, sicut de sacramento corporis Christi apostolus testatur: *qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus domini.*⁵ Sicut enim radius solis eque mundus per munda et immunda loca transit et sicut eque commodus in se ipso semper manet, quando etiam lippo oculo in eum intuenti noxius existit, ita et sacramentum corporis Christi eque mundum et sacrum immo sanctimonie causa in se ipso semper subsistit, sive vitam sive iudicium sibi manducat et bibit, qui ad illud percipiendum accedit.

26 Quod autem beatus Ambrosius dicit: quando symoniacus dicit ad populum: 'pax vobis' maledictionem dare eis potest quam habet, benedictionem et gratiam Dei dare eis non potest, quia non habet, concedimus et per omnia viri tanti auctoritatem sequimur. Benedictionem et gratiam Dei ex merito suo dare non potest, quia non habet, set per eum dominus benedictionem et gratiam suam dare eis potest, quia habet potens cuicumque vult exhibere divitias bonitatis sue, qui per malignos quoque spiritus sepe gratie sue

^a) zelando

^b) dictu

¹) Cf. Gen. 27, 1 ff.

²) Gen. 27, 33.

³) Num. 19, 22.

⁴) Tit. 1, 15.

⁵) 1. Cor. 11, 29.